

d Ex Sancto- niar. l. 1. Prop. c. ult.

e In Amos 5. 25. & ex eo Oecum. & Theophylact. in Acta.

f Macrob. Sa- turn. l. 3. c. 8.

g Oedip. Ae- gypt. Syntag. 4. c. 15.

h De Leg. He- br. Ritual. l. 2. cap. 10. §. 12.

i Isai. 37. 12. 13.

k Isai. 36. 19.

l De orig. & progr. Idolo- lat. l. 2. cap. 5.

tibus Solem colunt, qui ipsorum lingua Hel dicitur, unde & Helios. Tradit etiam Eu- sebius [d], in Theologia Phoenicum Sa- turno inditum esse nomen *Ilus*, quod idem est ac *El* Hebraeorum, nempe *Deus*.

S. Cyrillus Alexandrinus autumavit, Am- monitas (Moabitas habet memoria lapsu) Planetam Veneris in Moloch suo coluisse; ejusque Numinis supremam frontem gem- ma quadam pellucidâ insertâ micuisse [e] refert. Hanc S. Patris sententiam, quam Græci quidam adoptarunt, conjecturæ que- dam fulciunt, statim à nobis promendæ, ut demonstremus Moloch Lunam aliquan- do designare, quam sanè Lunam non rarò Veneris Numen apud Veteres exhibet (f).

Arias Montanus Moloch relaturus ad Mercurium, nomen illud ex Hebræo Ma- lac, nuncium, seu legatum agere, deri- vat; quod scilicet Mercurio apprimè qua- drat. Verùm alia est scribendi nominis Mo- loch in lingua originali ratio, quam quæ Ariæ explicationem patitur; potius enim quam Legatum Regem exprimit. Neque sanè unquam victimis humanis litatum. Mercurio legimus. Nec æquior est Kirche- rii (g) conjectura, autumantis Moloch ip- sissimum esse Martem, & aliquando etiam cum Typhone, & Mitra consulum. Ejus conjectura ex eo tantùm ducitur, quòd in Commentario Coptico ad Act. 7. 43. nomen Moloch pro sydere Martis positum sit. Non unum tantùm, sed æquè omnes Ammoni- tarum Deos nomine Moloch designari Spen- cerus contendit [h]; quare, inquit, & Sol & clarissimi quique Heroes eâ simul appel- latione censentur, ut proinde frustra quis certam Numinis Moloch figuram determi- naverit. Observat in eam rem nomen il- lud indiscriminatim pro Baal usurpari; si- cut & Baal nomen esse æquè omnibus Orientalibus Numinibus commune, ex il- lo Isaiæ demonstrandum suscipit (i); *Dii gentium Gozam, & Haram Gre., quos sub- verterunt patres mei, numquid eruerunt eos? Ubi est Rex Emath, Rex Arphad, & Rex Sepharvaim.* Quo loco hic Reges Emath, & Arphad scribitur, alibi ita scriptum legitur [k]; *Ubi est Deus Emath, & Ar- phad?* Adjecisse poterat Spencerus, quod supra nos animadvertimus, Deum Mel- chom perinde ac Regem Ammonitarum ha- bitum fuisse, cujus captivitatem, sicut & Sacerdotum ipsius omnium servitutem, Pro- phetæ prænunderunt.

Gerardus Joannes Vossius non vagam aded, ut Spencerus, sed certiorum ejus Numinis ideam exhibet; namque nomine Moloch designatum credit Apollinem vel Solem, Cælum, Jovem, Saturnum, sive Naturam; quanquam potissimum Soli ejus simulacrum consecratum suspicatur (l). His autem rationibus nititur. 1. Nomen Mo- loch idem sonat, ac Baal, quò postremo Sol ipse apertissimè denotatur. 2. In Simu- lacro Moloch septem erant cellulae, si He- brais fides; quinque scilicet pro singulis planetis, duæ reliquæ pro Lunâ, & So- le; Soli autem infans immolabatur.

Post adductas hæc doctissimorum vi- rorum opiniones unâ eam rationibus, qui-

bus fulciuntur, ad nostram tandem profe- rendam sententiam lectorum expectatione invitatur. Nobis igitur ea sedet senten- tia, quæ Moloch cum Sole, sive cum Lu- na, vel cum utroque simul confundit. Pa- radoxum asserere videmur; sed hujus no- stræ opinionis eas proferemus conjecturas (nequè enim in re ambigua demonstratio expetenda est) quas apud æquos Lectores fidem obtenturas confidimus.

Sol & Luna, vetustissima simul ac no- tissima sunt Paganorum Numina, in quo- rum cultu, quanquam variis nominibus re- presentarentur, tota Orientalium supersti- tio versabatur. Alterum ex illis Astris Re- gis titulo & nomine, alterum Regiæ Cœli designatum est. Nec alia sunt Ægy- ptiorum Numina, sub Osiridis, & Isis no- mine (m), sicut etiam Ammonis notissi- ma. Alexander Magnus, ejusdem Ammo- nis Oraculum in Lybia celebratissimum consulturus, Numinis sub titulo *Regis* si- vè *Domini* oblati sacris litavit (n). Olim apud Phoenices nulla erant alia quæ cole- rentur Numina, quam Sol, Luna, Astra, & Elementa; Solem autem Baal; Lunam Astartem appellabant. Gemini erant Ara- bibus Dii, Bacchus, & Alilar seu Venus Cœlestis (o); in Baccho Solem, in Alilat Lunam agnosce. Primi Græciæ incolæ nullum norant Numen, ait Plato, quam quod hodie usque Barbari noverunt, So- lem, Lunam, Terram, Astra, Cælum (p).

Veterem hanc religionem Barbari non- dum exuerant, cum Græci sub Alexandro Magno suscepta in illos expeditione totum Orientale Imperium invaserunt. Egyptus excipiatur oportet, ubi vel brutis ipsis decreta sunt thura & Altaria; sed & his exceptis Numinibus, etiam apud Ægyptios varia quidem erant Deorum nomina, re- tamen Solem & Lunam unicè ab illis cul- tos non temerè suspicaremur. Cum tamen Græcorum factus religionis suæ vestigia in ipsâ Orientalium Theologiâ rimari voluis- set, factum inde, ut omnia turbaret, Barba- risque Numinibus nomina inderentur Deo- rum, qui in Græciâ colebantur. Ita e.g. nescio quid similitudinis nacti inter Baal Phoenicum, & Saturnum sive *Cronon* Græ- corum, continuè duo hæc Numina in unum conflantes; Baal Deum Phoenicum ipissi- mum esse Saturnum pronunciarunt; idem Saturno Carthaginensium accidit. Postribula, & scortationes in honorem Numinis cujusdam frequentari apud Orientales ani- madvertentes, statim eâ superstitione Ven- nerem coli dixerunt; sed reclamantibus Orientalibus, atque colere se eo supersti- tionis ritu Lunam affirmantibus; ided Ven- nerem Cœlestem invehere visum est.

Quod autem maximè nos in hanc sen- tentiam inclinat, ut scilicet Moloch cum Sole confundamus, illud est, nempe Ara- bes, inter quos Ammonitæ censentur, Solem, & Lunam pro omnibus Numinibus coluisse; Arabes, ait Herodotus (q), Dionysium tantùm, & Deam Cœlestem co- lunt; hunc *Ourotalt*, illam *Alilat* appel- lant. Scitum est apud Græcos ipsos Bac- chum

m Vide Euseb. l. 1. Prop. cap. 10.

n Arrian. de Exped. Alex. lib. 3.

o Herod. l. 1. cap. 131.

p Plato in Cratyl.

q Lib. 3. cap. 8.

r Orpheus apud Macrob. l. 1. cap. 18. s Lib. 2. cap. 44.

t Herod. l. 1. cap. 131.

u Apud Euf. prepar. l. 1. x 4. Reg. 23. 4. y Vide 3. Reg. 12. & 19. 18. Jerem. 2. 28. & 7. 9. & 11. 13. 17. & 19. 5. & 22. 35. Osee 2. 8. Sophon. 2. 4. Tob. 1. 5. In Hebraeo quo- que Vacca in- terdum appel- lantur: Vac- cas ( Hebr. ogeol ) Berba- ven coluntur in Samaria. Osee 10.

chum, Liberum, Dionysium varia esse ejusdem Numinis, nempe Solis, synoni- ma; quod apertissimis rationibus Macrobio demonstratum est (r). Apud Ægyptios, Herodoto auctore, Dionysius pro Osiride usurpatur (s); Osiridis autem nomine So- lem designari quis nesciat? Quadrat no- men *Ourotalt*, quo Arabes Dionysium ap- pellant; sonat enim eorum linguâ Deum luminis; quadrat & cultus Baccho, sive Dio- nyisio impensus, apprimè sævus, & im- manis; victimis enim humanis pluribus in locis ejus Numinis litabatur: ita in- Insula Chio ante Aram Numinis in frusta miseri homines discerpebantur. Cives Du- ma in Idumæa Ammonitis contermini, quemadmodum est à nobis ad Levit. 18. demonstratum, infantem quotannis immo- labant; maceratum autem condebant sub lapide, quo pro Altare simul, & Simu- lacro utebantur. Nec olim apud veteres quamplures alia erant Idola, quam lapi- des rudes, vel in columnas redacti: ita Bacchum Thebarum, & Deum Elagabal (Solis erat imago) describunt; ita de Arabum Numinibus ferunt, apud quos qua- drata pyramis Lunam exhibebat. Apud recentiores Arabes tamen statuas obtinuisse infra demonstrabimus. Non abs re igitur credimus, Moloch Ammonitarum, & Dio- nyisium sive *Ourotalt* Arabum pro uno eodemque Numine usurpandos.

Prætereundum hic ducimus, quod supra jam demonstratum est; nempe Mitram, Perferam, & Belum Assyriorum ipsum esse Solem, & Moloch; addendum tamen cum Herodoto censeo, in Persidem ab Assyriis, & Arabibus authoribus religio- nem (t); quare Perferam Mitra ipsa est Alilat, nempe Luna; qua de re infra sermo redibit, cum Moloch, & Lunam faci- lè confundendos demonstrabimus.

Potissima Phoenicum Numina celebra- bantur Baal, & Astarte, quorum primus Solem, altera Lunam designat. Id cum per se apertissimum est, tum adductis ra- tionibus extrâ omnem controversiam po- nemus. Sanchoniato, ab Eusebio relatus, tradit, Solem unicum esse apud eas gen- tes Cœli Dominum, cui proinde nomen ab illis inditum est *Baal-Schemen*, nem- pe *Deus Cœli* (u). In Scriptura appellatur *Baal-Schemes*, nempe *Deus Sol*, sic autem habet (x); *Et præcepit, ut proficeret de Tem- plo Domini omnia vasa, qua facta fuerant Baal, & in loco ( Hebr. Asera, nempe Astarte ) & universa militiæ Cœli, ... & delevit qui adolebant incensum Baal, & Soli, [ Hebr. Baal-schemes ] & Luna, & duodecim signis.* His sanè verbis Baal, & Baal-schemes, sicut Astarte & Luna non obscurè confunduntur. Porrò Astartem cornigeram pingebant, teste Sanchoniato- ne; nec alius fuisse creditur Baalis habi- tus, si unus idemque cum Sole, Baccho, & Osiride reputandus est. Quæ in Regno Israelis ad cultum erecta erant Numinum simulacra, ad similitudinem Baalis, Astar- tes, Osiridis, & Isis expressa, hæc sanè in Scriptura Vacca seu Vituli auri appellantur (y); quòd scilicet vel bovino

essent capite, vel saltem radiis, veluti cornibus, frontem haberent instructam. Quod ad Phoenices attinet, frustra huma- nis victimis illos suis Numinibus litasse ostenderemus, cum hujus criminis & primi auctores, & fautores potissimi tum in suis Urbibus, cum in ductis à se coloniis habeantur.

Nec Syri reliquis finitimis gentibus in cultu Solis quidquam concedebant; cui no- men *Adad* i. e. unus, solus, ab illis in- ditum credimus; quo pariter nomine ple- rosque ex eorum Regibus appellatos legi- mus in Scriptura. Eodem nomine *Adad* maximum gentis Numen ab Assyriis ap- pellatum, cui socium in supremâ rerum om- nium potestate jungerent *Deam Atargati*, Macrobius (z) est author. Coronam Numini imponebant radiis inclinatis nitentem; Deæ verò radiis in sublime erectis. Porrò in ea historia Assyrios pro Syris usurpato, errore apud Veteres, non fa- tis inter duas hæc gentes distinguentes, frequentissimo, ne ambigimus quidem. Alterum Solis simulacrum, habitu planè à Numine Macrobi diverfo, Edeffe in Sy- riâ dedicatum Herodianus describit (a). Dei nomen *Elagabal*; figura verò lapis ab imo rotundus & sensim fastigiatus. Antoninus Imperator, cui idem cum Namine erat cognomen, communem utrique se- dem voluit; quare Romam transferri, iis- demque, quibus antea Edeffe, coli hono- ribus curavit. Qui nam illi? cætorum pue- rorum victimis Numinis illi ab Imperatore litatum ex Xiphilino habemus. Quare idem facile Numen fuit *Elagabalus* ac Moloch.

Alia occurrunt in Scriptura Numina, facile cum Deo Ammonitarum confun- denda; scilicet *Anamelec* & *Adramelec*, Dii Sepharvatarum [ populi erant in Samari- tidem à Regibus Assyria loco veterum incolarum translati ]. Conjecturam capi- mus ex more in ea gente recepto, de quo 4. Reg. 17. 31. *Qui erant de Sephar- vaim comburebant filios suos igni Adrame- lec, & Anamelec Diis Sepharvaim.* Por- rò has gentes veterum Medorum regio- nem, vel circa incolere potuisse in Com- mentario in Gen. 2. 11. ostendimus. No- mina *Anamelec*, & *Adramelec* juxta Hebraicam etymologiam reddi possunt, illud *Rex Magnus*, alterum verò *Rex mitis*. Au- tumat Vossius, Anamelec designare etiam posse Deum oracula fundentem, ex *Ana*, quod Hebræis est respondere [b]. Potest etiam ex Arabico *gani*, dives, vel *gigna*, divitiæ, reddi, *Rex dives*, sive *Rex divi- tiarum*. *Adramelec* est Rex, vel Deus ma- gnificus. Ego non invitus crediderim, Ana- melec ipsam denotare Deam *Anais*, in regionibus Assyriæ finitimis, ut ex Stra- bone [c] patet, celebratissimam, quæ quid- dem Dea cum Dianâ, & Lunâ confunden- da est. Quoad *Adramelec* verò, nonisi So- lem designasse censeo; quod sanè nomi- nis significationi, Dei scilicet magnifici, apprimè quadrat.

At enim, si Anamelec ipsa est *Dea Anais*, quomodo Regis titulus Anamelec, fœminæ nempe; in Sacra Scriptura tri- bui-

z Saturp. l. 1. c. 23.

a Herod. l. 5.

b Voss. de Orig. & progr. Idolo- lat. l. 2. cap. 5.

c Strab. l. 11. pag. 347. & l. 15. 485.



buitur? Quod difficultatem faciat in care nihil est, solemne enim erat Antiquis, ut nullum in Diis sexum distinguerent; quemadmodum neque satis discrimen illud observat S. Scriptura, quæ de Astarte, & Dagonæ agens, Deos utrosque, nullo facto discrimine, appellat [d]; cum tamen Dagon facile ipsa esset Dea Derceto, sive Atergatis; Astarte verò Dea esset Sydoniorum. Ufistatissima etiam erat formula Paganorum inter orandum: *sive tu Deus es, sive tu Dea (e)*; quemadmodum etiam constat ex relata apud Macrobius prece pro impetranda ope Deorum, quorum patrocinio obfessa Urbs subdebatur (f). Idem autem capitale Paganæ Religionis dogma, si unquam aliàs, potissimum in Luna observabatur, quæ utrumque sexum in se coniungere credebatur, ait Plutarchus (g). Non ignota sunt nomina Deus Lunus, & Dea Luna: quin & Apollo ipse sub utriusque sexus habitu, quemadmodum & Mitra, colebatur. In superioribus observavimus ex Herodoti testimonio, eandem Deam, quam Assyri Mitram appellabant, hanc sub nomine Alilat Arabes coluisse. Luna apud Syros, Armenos, & in Mesopotamia virile erat Numen. Virilibus vestibus induta pingebatur, quemadmodum & in Numinis quibusdam Græcis hodie usque apparet, ubi virili etiam titulo, atque Armeno capitis integumento exhibetur. Narrat Spartianus veteres Charrarum in Mesopotamia incolæ in ea fuisse persuasione, ut quicumque Lunam pro Dea haberent, ipsi nunquam uxori suæ non subderentur; qui verò pro Deo, nunquam non uxores suas sibi morigeras habituros [b]. Addit consuevisse quidem Græcos, & Ægyptios muliebri nomine Lunam appellare quandoque; nunquam tamen nisi tanquam Numen virilis sexus in mysteriis suis habuisse: *Mysticè tamen Deum dicunt*. Bacchus quamquam ipse Sol esset, ut supra ostendimus, cornibus tamen instructus, atque muliebri amictu, ut ex Porphyrio constat, (i) pingebatur.

Est igitur ambigendi locus, an Moloch nomen sit Lunæ potius an Solis, cum Dei sive Deæ titulus indiscriminatum usurpari consuevisset. Ex quo etiam illud consequitur, nihil esse cur Lectores mirentur, si Anamelech, Numen Regis titulo insignitum, pro Dea habeamus.

Sed agedum, demonstremus humanis victimis non Soli tantum, sed Lunæ etiam litari frequenter consuevisse. In regionibus ad Araxem sitis [ubi Sepharvatarum patriam constituimus] authore Strabone, Luna colebatur, cujus erat Templum insignè ad Iberum (k). Hujus Fani Sacerdos secundam obtinebat post Regem dignitatem, frequentem mancipiorum turbam Numini consecratam in obsequiis habebat. Accidebat autem quotannis, ut ex tanta mancipiorum turba aliquis Divino, uti ferebatur, instinctu in lucum se se subduceret, ubi tandiu errabundus vagabatur, donec à Sacerdote captus, catenis oneratus, toto anno lautè in carcere detineretur. Eo anno evolutò, unà cum aliis victi-

d 1. Reg. 3.7. Duræst manus ejus super nos, & super Dagon nostrum 3. Reg. 11.5. 33. Adoraverunt Astartem Deum Sydoniorum. e Arnob. contra Gentes. f Macrobi. Saturn. l. 3. cap. 9. g De Iside, & Osiride.

h Spartian. in Caracall.

i Apud Euf. Præp. l. 3. cap. 11.

k Strab. l. 11.

mis Numini immolandum adducebatur. Nec alterius erant generis Sacrificia Deæ Syriæ, (quam facile Lunam credimus) ut ex Luciano constat. Narrat enim clausos in saccis pueros delatos à parentibus in Temp'i pinnaculum, unde præcipites in forum agerentur; lugentes autem casum suum pueros, ita solari consuevisse parentes, ut dicerent, non à se eos genitos fuisse, sed à bobus. Cruenta Dianæ sacrificia, quibus in Taurica Numen colebatur, notiora sunt; quàm ut in præsentiarum à nobis commemorentur; ejus autem cultum, & ritus in Cappadociam, & Arabiam in vestros Strabo testatur (l).

Duo super sunt Romæ simulacra, in eodem marmore insculpta, quæ nostro argumento servire possunt; extant autem in hortis Farnesianis, & ipsissima esse Numina credit Seldenus, quæ referente Zozyro, Palmyrâ Romam ab Aureliano delata sunt. Inscripta marmori legitur hæc Græca epigraphæ: *Agilobolo, & Malacbelo Diis patris*. Credit autem idem Seldenus, Agilobolum eundem esse ac Elagabalum Deum Palmyrenorum, quem Antoninus cognomento Heliogabalus Romam transferendum curavit; derivat autem nomen illud ex Hebræo *Hagli*, rotundus, & *Baal* Dominus; Porro Heliogabalus lapis erat rotundus, ut jam supra innuimus, & Solem designabat. Malacbelum verò ita interpretatur, ac Deum Belum; ego tamen maluerim Malacbelum Lunam reddere. Fateor quidem nomen illud virile esse; sed non semper muliebri nomine appellatam Lunam supra ostendimus; quin & Malacbelus plerumque cornua habet Lunæ in dorso expressa, quod Lunæ unice convenit. Nomen Malacbelus ad litteram sonans Deus Rex, summam ejus Numinis venerationem demonstrat, simulque probat, quod supra à nobis insinuatum est, nempe Moloch, cum Deo Luno confundi.

Tandem in promptu habemus Authorem, qui singulare aliquid de Ammonitarum Numine affert. Is est celeberrimus Itinerator Benjamin, qui venisse se Gebal Urbem Ammonitarum referens, vetus invisit Templum, & in Templo vetus, quod supererat, ejusdem gentis Numen. An mulierem, sive marem referret, silet omnino; ceterum, ait, simulacrum erat lapideum, auro superinducto nitens, quod throno assidens, duas utrinque foeminas, totidem thronis assidentes, habebat; ante foeminas Ara posita in usum sacrificiorum, & aromatatum. Ex Authoris silentio colligimus, nihil novi in Numinis simulacro spectatum fuisse; ex quo adductis supra ex Rabbini descriptionibus suspicio non levis. Nec est cur diversa ab eo Numine credamus alia finitimarum gentium; quamquam enim in remotissima antiquitate rudes coluisse lapides, sive columnas populos illos constat; successu tamen temporis hominum simulacra rudes illi lapides ad decus Religionis induerunt. Si autem in medium iterum adducere licet *Heliogabalum*, possumus non ineptè ejus nomen ex *El* & *Gabal* derivare, ut sit Deus Gabal, nempe Sol in Urbe Gabal cultus, vel Deus terminorum; has

l Strab. l. 12. & l. 16.

has enim omnes significationes commodè reddidit Hebræum Gabal. Possit etiam non incongruè derivari ex *Hel-Haggabal*, nempe Deus creator, vel Sol creator, quem sæpè titulum apud Paganos Sol obtinebat. Porro *Gabal* Syriacè & *Gabil* Arabicè sonant creare.

Antequam Dissertationem claudamus, objectionem occupare oportet, ex eo scilicet deductam, quòd negotium facere videantur varia illa nomina uni eidemque Deo juxta nostram sententiam indita in regionibus inter se finitimis, nec sermone, neque religione plurimum inter se discrepantibus.

Sed his facile reponimus, varia fuisse ejusdem Dei nomina, nedum apud varias gentes, sed in una etiam eademque regione. Sed & inter Numina cætera facile in ea re superant Sol & Luna, quemadmodum & latior illis præ cæteris cultus & religio. Vetus Poeta Græcus (m) refert, Bacchum apud populos supra Euphratem Belum appellari, apud Lybes Ammonem, apud Ægyptios Apim, apud Assyrios Jovem. Sol apud Aufonium ita loquens inducitur: *Ogygia me Bacchum vocat, Osirin Ægyptus putat, Arabica gens Adoneum*. Nimiè esse minus, si omnia Solis nomina à Macrobio recensita referri hic (n) poterimus.

Neque quidquam in ea re Luna Soli concedebat. Diana in Hymno apud Callimachum Jovem rogat, ut sibi hanc præroga-

m Belo ep. Euphretao, Libys cailemenos Ammon.

n Macrobi. l. 1. cap. 18.

\* Arithmi.

a Num. x. & 2. & 3. & 4.

tivam; multorum scilicet nominum, ratam habere semper velit. Luna apud Apulejum (o) ita se jactitat: *Primigenii Phryges Pefinuntiam nominant Deum matrem*. Hinc autochthones Attici Cecropiam Minervam; illinc fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem; Cretes sagittiferi Didinam Dianam; Siculi trilingues Stygiam Proserpina. Nam Eleusini vetustam Deam Cererem. Alii Bellonam, alii Hecaten, Rhamnusia alii; & qui nascentis Dei Solis inchoantibus illustrantur radiis Æthiopes, Arii, que, præcæque doctrinâ polientes Ægyptii, cæremoniis me propriis percolentes, appellant vero nomine Reginam Isidem.

Post hæc omnia non est cur Lectores mirentur, si Moloch Deum Ammonitarum, cum Sole vel Luna confundendum asseruerimus; si unum etiam eundemque habuerimus cum Baallemes, & Astarte Phoenicum, Osiride, & Iside Ægyptiorum, cum Dionysio & Alilat seu Venere Cœlesti Arabum, Mitrâ Perfarum, Belo Assyriorum, Anamelech & Adramelech Sepharvatarum, Anai populorum ad Araxem, Saturno Phoeniciæ, Amicâ Carthaginiensium, Adad & Atergati Syrorum, Elagabalo Palmyrenorum, Deâ Syriâ Jerapla, Aglibolo & Malacbelo Palmyrenorum, tandem cum Apolline, Baccho, Adonide, Diana, Venere, Luna, & Luno. Variis hinc nominibus uni designantur Sol & Luna

o Apul. Metamorphos. l.

b Cap. 10. 11.

c Cap. 11.

d Cap. 11.

# IN NUMEROS PROLEGOMENON.

**H**ebraum hujus Libri nomen ex primis verbis in Textu forte occurrentibus repetitum est; *Vajedabber*. Alii inter Judæos ex quinto ejusdem Textus verbo appellant *Beniadebar*; facile quòd historiam rerum gestarum in itinere per desertum spatio 39. annorum continet. Apud Græcos (\*) & Latinos inscribitur *Numeri*; quòd scilicet priora Libri capita censum populi & Levitarum referant. Perfecto jam & consecrato Tabernaculo, Moyses jussus à Deo censum populi habuit [a]; singulæ Tribus singillatim censitæ sunt; omnium postrema & seorsum Tribus Levi. Cum autem præpedi iter in Chanaanitidem maturandum esset, Moyses regulas in castrametationibus, & in itinere inter singulas Tribus servandas, sicut etiam cujusque familiæ Leviticæ munera, direxit. Succedunt in quinto, sexto, octavo & nono capite peculiare leges quamplurimæ, ut de iis, quos contracta aliqua legalis macula extra castra amandabat; de aquis Zelotypiæ, de Nazareis. Descripta simul leguntur munera à singulis Tribuum Principibus Tabernaculo post ejus erectionem oblata; sicut etiam nonnulla repetuntur de partibus Tabernaculi, Sacerdotum con-

secratione, & Festo Paschatis. Quod tandem signum movenda atque figenda castra ediceret, in iisdem capitibus præscribitur. Castra igitur à Sinai mota sunt (b) die vigesima secundi mensis anni secundi post egressum ex Ægypto. Eâ occasione Jethro, qui paulò antè supervenerat in castra, frustra rogari se à Moysè passus, patriam repetiit, filio tamen Hobab cum focero relicto. Tridui itinere in Pharan exercitus venerat, cum & viæ tædio (c) & manna fastidio, fessæ in murmur abire turbæ cœperunt. Brevi tamen excitato Divinitus incendio, quo pars castrorum absumpta, repressa seditio est. Tum Deus coturnices cupientibus carnes suppeditavit; vixque optatis escis passos immissa subito plaga quamplures exterminavit. Hinc nomen loco inditum *Sepulcra concupiscentia*. Hac occasione Deus 70. Seniores ex universo populo. Spiritus sui illapsu selectos, adjutores Moysi in regimine Israelitarum dedit.

Redierat paulò ante ad virum Sephora Moysis uxor (d), quam non rectis oculis aspicientes Aaron & Maria, nescio quid adversus Moysen obloquuti sunt. Deus rem tulit indignè; quare immisâ in Mariam leprâ septem dierum spatium à castris exulare coegit.

Mo.